

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia

Tribus Tomis comprehensa

Opvscvla Spiritvalia - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae
Christiana. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De
Sacrificio Missae. VI. De Discretione Spirituum ... Operum Eminentiss.
Cardinalis, Tom. I

Bona, Giovanni

Parisiis, 1677

Cap. 15. Fasciculus Aspirationum ad Jesum, ad Beatam Virginem, ad
Coelites universos

urn:nbn:de:hbz:466:1-9969

dinem Cœli præ multitudine iniquitatum mearum.

7. Omnia animalia pro captu suo tibi, Domine, appropinquant, solus ego infinita vitæ meæ turpitudine à te recedo.

8. Unde mihi hæc insania, Deus meus, ut audeam gloriari tot peccatorum reus, ob quæ potes hoc momento mittere me in gehennam?

9. Abjicio, me, Domine, propter te infra homines universos, quia vilior & contemptibilior omnibus sum, & pro tali haberi, ac tractari desidero.

10. Nihil aliud volo, nihil opto, altissime Deus, nisi pati & contemni pro te, da mihi claram & veram mei notitiam.

11. Indignus sum, Domine, omnibus donis tuis ob vilitatem & ingratitudinem meam: indignus consortio hominum præpter fordes culparum mearum, quarum pessima tabe vel aërem ipsum inficio.

12. Utinam universi homines, æquissime Deus, misericordiam agnoscerent & despicerent me, ac meam mihi indignitatem exprobrarent, ut spernerer propter te.

13. Domine non sum dignus calcare hoc pavimentum, per quod transeunt tot servi tui, quibus comparatus vermis sum & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis.

14. Absit à me, Domine, ut velim ambulare in magnis & in mirabilibus super me. Magna enim est abyssus fragilitatis, & nihili mei: nihil sum, nil possum sine te.

15. Fac me, Deus tanquam pavimentum mundi, ut ab omnibus conculcer & indignissime tracter, quia sic exigunt peccata mea.

C A P . X V . *Fasciculus aspirationum ad Jesum, ad B. Virginem, ad Cœlites universos.*

TAmetsi oratio ut est actus Religionis cultum latriæ continens, ad solum Deum fundenda sit, tanquam ad primarium auctorem boni, qui illud per seip sum nobis

conferre potest ; certum est tamen ex fide catholica posse nos , & debere Angelos etiam , & sanctos homines cum Deo regnantes humiliter exorare , opemque illorum devotis aspirationibus implorate : Licet enim Christus sit principium universale totius meriti , mediator Dei & hominum , qui semper interpellat pro nobis ; aliis tamen mediatoribus indigemus , qui pro nostris necessitatibus efficaciter intercedant . Notissima est sententia Eliphaz Themanitis ad patientissimum Job : *Voca si est qui tibi respondeat , & ad aliquem Sanctorum convertere.* Ideo operæ pretium me facturum existimavi , si huic lucubrationi caput istud attexerem , quo varias aspirationes breviter digessi ad Jesum Redemptorem , à quo primitus omnia bona speranda , tum ad Virginem Beatissimam ejus genitricem , deinde ad Angelos , & reliquos Cives cœlestis patriæ , ut ipsi nobis quicquid ad salutem , & perfectionem necessarium est suis precibus obtineant , pro sua in nos pietate , & apud Deum auctoritate .

AD IESVM REDEMPTOREM.

1. *I*esu sapientia Patris , da mihi querere & sapere quæ sursum sunt , ut gustem quam suavis es .
2. *I*esu verbum Patris utinam audiam quid loquaris in me !
3. *J*esu Redemptor , esto mihi in Deum protectorem , & in domum refugii , ut salvum me facias .
4. *J*esu frater primogenite , fac me tibi coheredem in domo Patris nostri .
5. *J*esu Fili Dei , qui pro me factus es homo , non sit mihi grave humiliari pro te .
6. *J*esu creator meus , cor mundum in me crea , & spiritum rectum innova in visceribus meis .
7. *J*esu vita mea tibi soli vivat anima mea , nam mihi vivere tu es , & mori lucrum .
8. *J*esu Domine mi , posside me servum tuum , & nemo praeter te .

9. Jesu præceptor, doce me facere voluntatem tuam,
ut dilcam à te quia mitis es, & humilis corde.
10. Jesu lux mundi, illumina oculos meos, & deduc
me in lēmitam mandatorum tuorum.
11. Jesu fons vitæ, sitivit in te anima mea: fac me
haurire aquas in gaudio de fontibus tuis.
12. Jesu pastor bone, propter nomen tuum deduces
me, & enutries me.
13. Jesu salvator, salva me, qui venisti querere, &
salvum facere quod perierat.
14. Jesu sponsus sanguinum, despensa te mihi in mis-
ericordia, & miserationibus.
15. Jesu amator speciosissime, trahe me post te in
funiculis charitatis.
16. Jesu zelator animarum, cuius delitiæ esse cum
filii hominum, amem te ardentissimo amore, & cætera
omnia propter te.
17. Jesu panis vitæ, anima mea sustinet te, ne dimittre
eam jejunam, ut non deficiat in via.
18. Jesu Judex misericors, qui non venisti perdere
quemquam, parce mihi, & responde pro me.
19. Jesu corona, & merces nostra magna nimis, jube
me numerari inter electos tuos.
20. Jesu gloria mea, cupio dissolvi, & esse tecum: da
mihi vivere in te, & in temori.

AD BEATAM VIRGINEM MARIAM.

1. Protege me, dulcissima Virgo Maria, sub umbra
alarum tuarum, & non recedat in æternum mel-
lifluum nomen tuum ab ore, & corde meo.
2. Ne unquam elongeris à me, potentissima Mater
Dei, quia circumdederunt me undique inimici mei.
3. Quid possum sine te, Virgo beata, aut quid fieri de
me, si averteris faciem tuam à me?
4. Quando venies, dulcissima Virgo, quando appa-
bis indignissimo servulo tuo?

5. Spiritus tuus, ô Maria, super mel dulcis, & possessio amoris tui super aurum, & topazion.

6. Sentiat anima mea suavitatem amoris tui, & intuitus semper versetur laudibus, quia unica post Deum consolatio mea tu es.

7. Compatere, Domina, animæ meæ ad te suspiranti, respice in me, & festina in adjutorium meum.

8. Da mihi gratiam tuam, ut semper de te gaudeam, & post istud exilium te contempler in gloria.

9. Sicut filius ad sinum matris, ita suspirat ad te anima mea, ne despicias me Mater misericordiæ.

10. Quantum desidero videre vultum tutum, speciosissima Virgo, assume me velociter ad te, & comple desiderium meum.

11. Quis non diligit te, Regina cordium, & Mater sancti amoris, quis non diligit te? Utinam omnes creaturæ tibi serviant, & in amore tuo vivant, ac moriantur.

12. Suscipe cor meum, dilectissima Mater mea, & offer illud purissimis manibus tuis purissimo Filio tuo.

13. Gaudeo, & exulto, B. Virgo, quod Deus te amet super omnia opera sua, & de hac re super omnia delector: magisque optarem inferni pœnas, quam ut momenti spatio quicquam de gloria, & dignitate tua minuatur.

14. Sperent in te qui neverunt nomen tuum, gloria Virgo, quoniam non derelinquis sperantes in te.

15. Gloriosus vultus tuus mihi appareat in extremis, & consolatio tua lætificet egredientem spiritum meum, clementissima Mater.

AD SANCTOS ANGELOS.

1. **A**ugele sancte, vitæ meæ gubernator, & custos, apprehende arma & scutum, & exurge in adjutorium mihi.

2. Custodi me sub umbra alarum tuarum ab insidiis

Inimici, & ab omni periculo, & tentatione.

3. Adesto mihi, beatissime Spiritus, doce, dirige, & protege me: cumque finis vita meæ advenerit, in extrema lucta versanti benignè succurre.

4. Septem Spiritus, qui astatis ante Dominum, purgate, illuminate, & perficite me: & dirigite omnia studia, & actiones meas ad gloriam Dei, & animæ meæ salutem.

5. Estote mihi singulare solarium in morte, Angeli Dei, potentes virtute, qui estis in vita salutare præsidium.

6. Infundite menti meæ deificum lumen, ut absumpta omni materia totus ardeam divino amore.

7. Venite in adjutorium meum cœlestis militiae exercitus innumerabiles, & defendite me ab incursu malignorum spirituum.

8. O supremi amatores Dei, succendite me illo igne, quem Dominus Jesus misit in terram, & voluit vehementer accendi.

9. Fontes sapientiæ pascite me cœlesti doctrina, & docete me scientiam Sanctorum.

10. Facite me, mentes purissimæ, docilem Dei, ut discam justificationes ejus; & discussis tenebris divinum lumen inserite menti meæ.

AD OMNES SANCTOS.

1. Elices Sancti, qui jam nostræ mortalitatis pelagus pertransistis, securi de vestra immarcescibili gloria, solliciti estote de mea multiplici miseria.

2. Date manus infirmo, cœlestis patriæ Cives, & erigitе jacentem, ut convalescens de infirmitate fortis efficiat in bello.

3. Eripite me de aquis multis, & de limo profundi, fulsis precibus ad eum, qui dominatur potestati maris.

4. Impetrare mihi fidem & perseverantiam, servire Domino in timore, & servare mandata ejus.

5. Clamo ad vos, potentissimi protectores salutis

meæ, mittite è patria felicitatis pauculas guttas pretiosissimi vini charitatis vestræ, quia aruit sicut testa virtus mea, & defecit præ siti anima mea.

6. Subvenite mihi misero peccatori sedenti in tenebris, & umbra mortis, & solvite vincula captivitatis meæ.

7. Liberate me à tumultuantium affectionum turba, ut sedeam solitarius, & taceam, & audiam vocem Domini loquentis in silentio ad cor meum.

8. Elevate me ab hac sordida terra, ut mihi mundus crucifixus sit, & ego mundo.

9. Ad me respicte, gens illustrissima & hæreditas summi Dei, adhuc peregrinantem in hoc exilio, & mitite de Cœlo opem, & consolationem.

10. Circumdate me gaudentem, & exultantem de vestrâ beatitudine, & gratiam impetrare virtutes vestras imitandi, ut vestris adjutus suffragiis particeps siam vestri gaudii, & coronæ.

Hæc in exemplum. Plura suggesterent usus, & affectus. Sunt autem quatuor capita, ac veluti fontes uberrimi è quibus aspirationes ad omnes, & singulos æterni regni proceres peti possunt. Primo quidem ex titulis honoris, dignitatis, perfectionis, & diversarum virtutum, quæ in illis eluentur. Secundo ex perceptis beneficiis, pro illis gratias agendo. Tertio, invocando illos, ut propitientur peccatis nostris, eorumque remissionem nobis obtineant. Quartò, multiplicem miseriam nostram, & innumerabiles necessitates proponendo, ut à malis omnibus erui, cunctisque bonis imbui, ipsorum meritis, & precibus, mereamur.

C A P. XVI. *Aspirationes ex nominibus Dei, ejusque attributis, & perfectionibus.*

Qui magna mentis adepta puritate ad unionem cum Deo aspirare jam digni sunt, præter affectus, quos pro perfectis supra descripsimus, alios elicere possunt ex